



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,  
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo  
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1709**

Articulus III. De Tergiversatoribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](#)

lit? Responsio est affirmativa, ut expresse dicitur L. ab accusatione. 6. §. 4. ibi: *calumnia causâ puniuntur. &c. ff. ad S. C. Turpilian.*

## ARTICULUS II.

De Prævaricatoribus.

**325** *P*revaricari, est crimina abscondere, ut dicitur cit. L. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turp. ubi gloss. lit. M. *prævaricari*, est *dissimulare crima*, quæ alias *proposita ad suam causam maximè facerent*; & *adversam partem adjuvare proditâ suâ causâ*; prodit autem, dum colludit cum Reo, idque efficit, ne condemnetur; & colligitur ex L. *Prævaricatores. 22. ff. de verb. signif. ibi: Prævaricatores eos appellamus, qui causam adversarii suis donant; & ex parte actoris in partem Rei concedunt; quod fit*, ut dicitur cit. L. 1. §. 6. ff. ad S. C. Turp. colludendo *cum Reo, translatiæ de fungendo munere accusandi, nimirum proprias probationes dissimulando, & falsas Rei excusationes admittendo.*

**326** Circa præsentem materiam not. 1. *Prævaricatorem*, prout hoc titulo de illo agitur, proprie esse, qui *publico judicio* (ubi scilicet agitur de crimen publico) *dolosè ac simulare accusavit*, nimirum dissimulando, quibus crimen efficaciter probaret; & admittendo falsa effugia. Talis prævaricatio est corruptela publici judicii; nam ex hoc sit, Reum criminis, publico prævaricationis judicio, absolvì à crimen, ut rectè notat Haunold. tom. 6. de Jure, & Just. tr. 2. n. 533.

**327** Poena verò prævaricationis olim erat eadem, quam alias Reus per prævaricationem absolutus, si convictus fuisset de crimen, subivisset, ut dicitur L. 6. ff. de Prævaricatoribus; hodie est extraordinaria, L. 3. ff. ad S. C. Turp. & notat Corvinus ad hunc tit. apud Haunold. cit. qui tamen observat in Carolin. Ord. Crim. a. 115. constitutum esse de prævaricatoribus: ut, si procurator ex proposito, dolo malo, in prejdicium partis sua, & in favorem partis adver-

sa gerit, & de hoc convictus fuerit, parti sue imprimis, pro damno causato, omni possibl modo satisfaciat; deinde ad numellas positus, virgis cæsus, relegetur, vel alio modo, pro qualitate commissi delicti, puniatur.

## ARTICULUS III.

De Tergiversatoribus.

**T**ergiversari in universum est ab accusatione desistere, ut dicitur L. 1. cit. §. 1. ff. ad S. C. Turp. censetur autem desistere non tantum, qui omittit accusationem, vel denuntiationem criminis sine licentia Judicis, ut dicitur cit. L. 1. §. 7. Si quis autem: sed etiam qui cum adversario suo, de compositione ejus criminis, quod intendebat, fuerit locutus; vel intra praefinitum à Præside tempus Reum suum non peregit, ut habetur L. 6. ff. eod. vel denique, qui in totum animum agendi depositus; non autem, qui solum distulit, ut habetur L. 3. cod.

Not. autem, quæ dicta sunt de *tergiversatione*, etiam intelligi de *frustratione*; nimirum, esse accipienda de desistente, hoc est omittente accusationem, vel cæptam sine abolitione, interventu Judicis, non prosequente, cum deberet necessitate officii, legis, vel contractus, aut quasi contractus, qui intervenit ex contestatione litis. Cum enim calumnia, etiam tergiversando commissa, subiecta sit poena, ut colligitur ex L. 3. 12. & 13. ff. eod. necesse est omissionem accusationis, vel non factæ, vel cæptæ, sed non prosecutæ, debere culpabilem esse. Nam qui Reum *exemptum* non desert, non videtur desistere, L. 12. ff. eod. nimirum culpabiliter. Dixi, etiam intelligi de *frustratione*. Nam *frustrari* apud Cujacium ad L. 4. C. de convenient. Fisci debitoribus, est *tergiversari*, seu *moran trahere*. Et mora ipsa (nempe illa debitoris dilatio, quam causat latitando, animo, ut fraudentur creditores) *frustratio* dicitur, de quo V. Pereyra in Elucid. 1194. & 1247.